



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

[§. 1. Figuræ, & Symbola.] Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & alijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS XIV. AMOR ERGA DEUM.

§. I.

Figura, & Symbola

Ex Veteri.

Scala Jacob. Gen. 28. 12. Scala Jacob vera vitæ devotæ imago est; & gradus nihil aliud, quam diverſi charitatis gradus, S. Franc. Saleſ. in Philothea. p. 1. c. 2.

Vestis Joſeph. Gen. 37. 4. Charitas est veſtis Joſeph conſita omni virtutum varietate, S. Franc. Saleſ. ib. l. 1. c. 8.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ex. 3. 2. Amor juſtis in cælo ignis est, qualem Moyses in rubo vidit, quem uſſit, non conſumpſit: in cælo enim nihil est, quod conſumi, aut purificari, poſſit. Juſti in via est amor, *ignis conſumens* Deut. 4. 24. Quis martyribus vitam abſumpſit? Amor ignis conſumens. Aliis divitias, & libertatem, amor conſumit. Philipp. Diez D. 17. Pent. cap. 2.

In dextera ejus ignea lex. Deut. 33. 2. hæc lex ignea ſignificabat Legem novam, quæ est amoris; de qua Luc. 12. 49. *ignem veni mittere &c.* Hinc Greg. hom. 30. in Evang. dextera Dei appellantur Electi: *in dextera ergo Dei est ignea lex*, quia Electi mandata cæleſtia nequaquam frigido corde audiunt; ſed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt. Corel. à Lap. hic.

Quemadmodum deſiderat cervus Pl. 41. 1. Talis omnino est amator Dei: nam & cum ſerpentibus carnalium cupiditatum bellum perpetuo gerit, & cum tentationibus, vel perſecutionibus premitur, ad montem contemplationis fugit, & infirmorum moleſtias patienter tolerat; ſed præcipue ſummò deſideriò Jeſum ſitit. Bellarm. hic.

Eſtatem, & ver. tu plasmiſſia ea. Pl. 73. 17. Per hæc tempora ſignificat Fideles, diverſâ morum qualitate pollentes: alii enim ſunt tanquam æſtas, fidei calore ferventes ad Martyrium uſque perducti; alii manſuetudine temperati; tanquam ver, æquabili Domino devotione famulantur. Caſſiodorus hic.

Ne omenia. Buccinate in Neomenia tubâ. Pl. 80. 4. Tertia feſtivitas est Neomenia, id est, *novæ lune.* Tunc autem luna innovari dicitur, cum ſoli conjungitur, & ab eo ad concipiendum ſplendorem velut amiſſi luminis, reparatur. Sol juſtitia Chriſtus, Luna autem primò ſancta univerſalis Eccleſia: deinde quoque fidelis eſt anima ejus, qui ſplendor eſt gloriæ, & figura ſubſtantia de radiis illuſtrata. Cùm ergo qualibet anima ſancta Redemptori ſuo veraciter in amore conjungitur, tunc ſolenitatem Neomeniæ celebrat. B. Petr. Dam. l. 4. ep. 16.

Dominus proteſtatio tua ſuper manum

dexteram tuam. Pl. 120. 5. Dextera hominis eſt amor Dei, & eorum, quæ Deo ſociant, appetitus. S. Proſper. hic.

Hedera arborem, quâ ſuſtentatur, & in altum erigitur, quaſi brachiis alſtringit, quia ſuam ab illa perfectionem accipit. Tu, omni, quò potes, amore DEUM amplectere, ſine quo nec ad momentum ſubſiſtere potes. Corn. à Lap. in Prov. c. 16. v. 4.

Sagitta. Quia amore languo. Cant. 2. 5. S. Greg. vertit: vulnerata ſum à dilectione. Oſtendit hac oratione telum, quod cordi altè inſidet. Qui telum autem jaculatur, eſt diſſectio, ſeu charitas.

Quæ paulò antè teli facta eſt ſcopus, nunc leiſam pro telo aſpicit in manibus Sagittarii. *Læva ejus ſub capite meo v. 6.* quæ arcus tenditur, & *dextera illius amplexabitur me;* quæ telum dirigit, tanquam ſponſam ſuſum deducens, ad participationem æternitatis. S. Greg. Nyſſ. hic.

Somnus. Reclinatorium aureum. Cant. 3. 10. Somnus meritò amor appellatur: quia ſicut dormiens à viſibilibus oculos claudit, & inviſibilia contemplatur; ita is, qui Divinæ contemplationi inſiſtit, quaſi alienus eſt, & dormit exterioribus; ſola ſpiritualia, & cœleſtia videns. S. Thom. hic. Dulciſſimus eſt ſomnus, & ſuaviſſimus eſt, Chriſtum querere. Id. Somno comparatur amor: quia viſibilium appetitu ſenſum mentis averit, atque ad inviſibilia appetenda convertit; cum ipſi etiam morti comparatur: quia, ſicut mors corpus interiimit, ſic & ab exterioribus delectationibus internæ vitæ claritas occidit. Ven. Beda hic. l. 3.

Dabo tibi poculum ex vino condito. Cant. 8. 2. id eſt, ferventem amorem, variis virtutum pigmentis ornatum. S. Iſid. hic.

Cujuslibet affectionis amor eſt principium. S. Thom. in Job.

Ex Novo.

Nesciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Matth. 6. 3. In dextera intelligitur amor Dei, in ſiniſtra vanitas, vel cupiditas Mundi. Quid eſt ergo, *nesciat ſiniſtra tua &c.* niſi: quod facit amor DEI, non corrumpat, aut perdat vanitas, vel cupiditas Mundi. S. Aug. ſer. 6. poſt Dom. Quinq. f. 2.

Inventa una pretioſa margarita Matth. 13. 46. Unde te amabo, niſi tu Domine dederis amorem tuum? ſpecioſa hæc margarita eſt; & non facile eſt reperire eam. S. Thom. Vill. tr. de adv. Dom. Nihil in tota domo Dei amore ſuo eſt pretioſius, nihil præſtantius. Hoc omnium donorum Dei maximum eſt, donum ſuper omne donum; quod non præſtatur niſi amicis;

mici; imò donum ipsum amicitia. O pretiosam margaritam! *quam qui invenit homo, vendit omnia, quae habet, & emit eam.* O præstantissimum thesaurum, quem qui possidet, etiam omnibus caret, dives est; quò qui caret, est cætera omnia habet, parvus est. Id. f. 1. Dom. 17. post Pent.

Ignem veni mittere in terram. Luc. 12. 49. Ambrosius. Bonavent. &c. intelligunt amorem Dei.

Ex Patribus, & Aliis.

Duas istas civitates Hierusalem, & Babyloniam, faciunt duo amores: Hierusalem facit amor DEI, Babyloniam amor sæculi. Interrogat ergo se quisque, quid amet? & inveniet, unde fit civis: & si se invenit civem Babyloniae, extirpet cupiditatem, plantet charitatem. Si autem se invenit civem Hierusalem, toleret castitatem, speret libertatem. S. Aug. in Pl. 64. propè initium.

Unusquisque Hierusalem, aut Babylonis, civis est. Sicut enim per amorem Dei quisque sanctus civis Hierusalem efficitur, ita per amorem sæculi omnis iniquus in Babyloniae structura operatur. S. Greg. in Pl. Pœnit. 50.

Inebriat amor Dei ad contemptum Mundi; calefacit, quia ferventes facit; acuit, quia erudit; facit audaces contra adversa, & fortes, à carne, Mundi, & demonibus, invincibiles; obliviosos eorum, quæ retrò sunt. S. Bern. sup. Salve Reg. sect. 4.

Visui comparatur amor Divinus: visus enim principalis est sensus. Id. de dign. div. am. l. c. 7.

Primus amoris nativitatis locus est Deus. Id. lib. de amore c. 2.

Ipsa charitas est oculus, quò videtur Deus. Id. c. 6.

Quid mirum, si regnum coelorum vim patitur? ipse Dominus violenti amoris vulnus sustulit. Si plures habes oculos, omnes alios claude, ut hoc unò utaris, quò solò dilectum intueri soles, & quò solò vales. Qui directius intueri volunt, alterum oculum claudunt, alterum intendunt; & eum ipsum, quò cernunt, stringunt, ut strictio efficacius contemplantur acuminè. Gilb. Abb. in Cant. f. 30.

Delicatum, ac molle vinculum, est Dei dilectio; & tamen gladius anceps eam scindere non potest. Dissecerunt tyranni membra sanctorum Martyrum; charitatem autem eorum nequaquam dissecare potuerunt. S. Ephrem. de iudicio extremo, & de compunct.

Quis neget, amorem spirituales ignem esse? rectè itaque, illa mentis in superna elevatione, ex fervore dilectionis oritur, fumo ni fallor, comparatur. Quid autem intelligimus per ejusmodi fumum, nisi devotæ mentis desiderium? quasi ergo fumus anima in superna ascendit, quando dilectione fervente, & in hoc ipsum urgente, suum desiderium super senetipsam rapit. Rich. à S. Vict. de arc. de mylt. l. 5. c. 6.

S. Dionys. Arcop. de div. nom. c. 4. p. 1. dixit: motum divini amoris circulo esse similem; qui circinò ducitur: ille enim incipiens ab uno

puncto circumducitur, finiturque in eodem, à quo inceperat. Ità opera Dei, quæ in prædestinationis valde eminent, ab ipso Deo incipiunt, ejus auxilio progrediuntur, & in eodem ipso terminantur. Lud. de Pont. de perfect. Christiani hominis tr. 1. c. 1.

Unam petii à Domino, hanc requiram Pl. 26. 4. Hæc est unitas illa, quæ, Dan. 3. 47, surgentis flammæ cubitis 49. deorat: quia carnalis appetitus, dum per multa raptatus oberrat, non habet unum illud, causam videlicet, finemque gaudendi, in quo delectabiliter requiescat. Jubilæus autem hac unitate concluditur; quia in solo Creatoris amore omnis sanctorum spes, & intentio, ponitur, & in eo tota eorum requies collocatur. B. Petr. Dam. l. 6. ep. 24.

§. II.

Amoris Divini Excellentia.

Ex Veteri, & Novo.

Dimitte me Ex. 32. 10. Audis, *dimitte?* & Deum profectò teneri non dubites; nec aliunde, quàm amoris fortitudine. S. Bern. sermo 2. f. 3. Sola, quæ Deum tenere possit, vis amoris est: quæ non solum teneri se patitur, sed, quò non teneatur, piè conqueritur in Propheta Ezech. 22. 30. *quæsi vi de ejus virum, qui interponeret seipem, & staret oppositus contra me pro terra, nè dissiparem eam & non inveni.* Rich. à S. Vict. tr. de grad. char. cap. 1.

Nihil, erat in templo, quod non aurò tegetetur. 3. Reg. 6. 22. Cur Deus domum suam aurò exornari vult? ut ostendat; se non nisi in animis, charitatis aurò splendentibus habitare. Sedes ei coelum empyrium, id est, igneum, indicat in hominibus empyriis, id est, amoris divini amore inflammatis se habere sedem. S. Bern. f. 27. in Cant. necesse est animum crescere, ac dilatari, ut sit capax Dei; porrò latitudo ejus dilectio ejus. Barradius Dom. Pent. tom. 4. l. 4. c. 7.

Sexaginta sunt regina. Cant. 6. 7. Reginae rectè dicuntur illæ animæ, quæ perfectæ charitatis sunt: in eo videlicet, quò dilectum sequentes, nihil terrenum; sed ipsum solum quærunt, nec propter merum gehennæ; sed propter amorem vitæ æternæ, peccatum fugiunt, virtutemque amando, iniquitatem oderunt. S. Rupert. in Cant. l. 6.

Statura tua assimilata est palme. Cant. 7. 7. Hebr. *hæc statura tua.* Sept. *hæc magnitudo tua;* quod Complutenſes referunt ad id, quod processit: *quàm decora charissima in etc.* delectis tuis, hæc magnitudo tua. Symmach. *hæc juvenus, vel aras tua.* Corn. hic.

Pervenit in vos regnum Dei Luc. 11. 20. Regnum Dei amor est ejus. Sim. de Cass. l. 5.

Ex Patribus, & Aliis.

Præcipis mihi, Domine, ut diligam te. hoc & possum, & debeo. Quomodo tu me dilexeris; si linguis